A. D. 1893

CURRENDA XIX.

L. 6118

STANISLAUS STOJAŁOWSKI,

Sacerdos Archidioeceseos Leopoliensis r. l. decreto Excellentissimi, Reverendissimi ac Illustrissimi Domini Metropolitae Severini Morawski de die 25 Novembris 1893 N. 5368 ad tres menses inde a 28 Novembris 1893

a Sacris suspensus.

Accepimus ab Excellentissimo, Reverendissimo et Illustrissimo Domino Metropolita nostro Severino Morawski, Archieppo Leopoliensi r. l. sequentem:

Notam.

Cum ***Stanislaus Stojałowski***, sacerdos hujatis dioecesis per ambitum Ejatis Almae Dioecesis vagari et hinc inde in diversis locis commorari soleat, pro notitia proinde Illustrissimi ac Reverendissimi Consistorii communicamus in adnexo copiam lati a Nobis contra supra memoratum sacerdotem decreti *suspensionis a sacris ad tres menses duraturae a die 28 Novembris 1893 numerando.*

Insimul rogamus Illustrissimum ac Reverendissimum Consistorium, ut pro casu, si praedictus sacerdos durante suspensione Missae sacrificium vel alias functiones s. in ambitu Ejatis Almae Dioecesis peragere praesumeret, desuper Nos benigne informare dignetur.

Leopoli die 4 Decembris 1893.

† ***Severinus Archiep.***

Decretum.

Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus
Severinus Morawski Archiepiscopus Leopoliensis etc. etc.

R. Stanislao Stojałowski, Praesbytero saeculari Archidioeceseos Leopoliensis

Teschinii, Cieszyn, Wysoka Brama.

S. Concil. Tridentinum in decreto lato Sess. XXII. cap. ***de observandis*** et ***vitandis*** in celebratione Missae statuit sequentia: „Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosan-

ctum missae sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile aestimare poterit, qui cogitarit, maledictum in ss. litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod, si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interioris cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuria, et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam, et fidelis populi aedificationem restituatur; decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum servitus vel irreverentia, quae ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix, induxit.

Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cuiusvis generis mercedem, conditiones, pacta, et quidquid promissis novis celebrandis datur nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, animo prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur: singuli in suis dioecesibus interdicant, *ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.* Neminem praeterea, *qui publice et notorie criminosus sit,* aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant; neve patiantur *privatis iu domibus*, atque omnino *extra ecclesiam*, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus, aut regularibus quibuscumque peragi. Haec igitur omnia, quae súmmatim enumerata sunt, omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quacunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi, pro data sibi a sacrosancta synodo potestate, ac etiam ut delegati sedis apostolicae, prohibeant, mandent, corrigant, statuant; atque ad ea inviolate servanda, censuris ecclesiasticis, aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis. exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque.“

Strictam observationem praeditati decreti S. Conc. Trident. tam Summi Pontifices Romani, nec non Episcopi aliique ordinarii locorum urgentes, opportuna hoc obtutu diversis temporibus tulerunt decreta ac statuta, per quae sub comminatione gravium poenarum ecclesiasticarum severe prohibebant omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, ne in oratoriis *et domibus privatis missae sacrificium celebrare praesumant*, nisi obtenta praevie speciali ad hoc a legitimo superiore facultate.

P. M. Clemens XI. decreto circa celebrationem missae in oratoriis et *domibus privatis emanato* sub 5 Decembr. 1703, mandat Episcopis aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes procedant, etiam tamquam Sedis Apost. Delegati ad poenas praescriptas per S. Conc. Trident. in dicto decreto Sess. XXII. usque ad

censuras latae sententiae, tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi, perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset.

P. M. Benedictus XIV. vero in epistola encyclica de die 2 Iunii 1751 ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos Poloniae directo, mandando, ut praecitata decreta Conc. Triden. et Clementis XI. stricte serventur, sub finem epistolae encyclicae declarat: „ Quodsi nihilominus, postquam a Vobis in materia *oratoriorum privatorum* quantum in vobis est, praestitum fuerit, vestra nihilominus praecepta violabuntur, ac poenae a Vobis impositae et inflictae negligentur; nequaquam certe nos officio nostro deerimus, et totam auctoritatem nostram in favorem Vestrum interponamus.“

Hisce supra allatis decretis innixus Noster Antecessor p. m. Venceslaus Sierakowski Archiepiscopus Leopoliensis in synodo dioecesano anno 1765 celebrata, cap. XIX. decrevit: „Auctoritate Nostra ordinaria ac etiam delegata, prohibemus omnibus sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus, *ne in privatis aedibus et residentia* quantumvis personarum etiam in dignitate constitutarum, nec non altaribus portatilibus ullatenus in Capellis vero seu *oratoriis privatis* . . . celebrare praesumant, idque sub poena suspensionis aliisque arbitrariis, in casu contraventionis super refractarios extendendis.

A longissimo inde tempore in hac Archidioecesi Nostra nullus eiusmodi contraventionis evenit casus, Clerus enim Dioecesanus summam erga S. Missae Sacrificium reverentiam favens, strenue observat, quae supra de prohibitione celebrationis Missae *in domibus et oratoriis privatis* exposuimus; donec *Reverentia Tua parvipendendo leges et auctoritatem Ecclesiae, non obstantibus monitionibus ad Te directis praesumpseris, maximo cum scandalo Cleri et populi fidelis Nostrae provinciae pro arbitrio in domibus privatis Missae Sacrificium celebrare.* Iam qua parochus Kulikowiensis, reum Te reddidisti violationis supracitatorum decretorum, ut e sententia de die 16 Septembris 1889 Nr. 3273 contra Te prolata patet; fovebamus tamen spem Rev. Tuam abhinc desiturum esse ab eiusmodi contraventionibus. Anno tamen 1892 relatum est Nobis, Te *Teschinii in privato cubili proprio* ss. Missam saepe saepius celebrasse. Quapropter per litteras de die 31 Decembr. 1892 Nr. 5365 Rev. Tuam serio monuimus, ne in oratoriis et domibus privatis Missae Sacrificium celebrare praesumas, nisi specialem a S. Sede Apost. obtinueris facultatem. Cum vero nuperrime Nobis tam e relatione Reverendissimi Episcopi Tarnoviensis, roborata fassione examinatorum sub iuramento testium, tum e fassione Rever. Tuae constiterit, Te denuo *die 7 Octobr. 1893, quae erat dies Sabbati ante Dominicam XX. post Pentec., in pago Sowliny in domo cuiuspiam agricolae Caroli Mamak Missae Sacrificium celebrasse,* cumque celebratio illa indebita, notoria facta, scandalum tam Clero, quam populo praebuerit, cum denique Rev. Tua ad iteratas inquisitiones nostras de die 20 Octobr. et 13 Novembr. 1893 Nr. 4802 et 5118 indultum auctorisans Te ad celebrandam Missam in oratoriis et domibus privatis *non produxisti,* in litteris vero de ista celebratione ad Nos directis, nullo habito respectu ad leges Ecclesiae, propugnare audeas, sacerdoti *cuilibet licere e causa, quam pro arbitrio suo rationabilem esse censet, ubique locorum,* etiam *extra Ecclesiam,* Missae Sacrificium celebrare; Nos deessemus muneri Nostro pastorali, si eiusmodi manifestas notoriasque

violationes legum ecclesiasticarum, ac effrenatos abusus Reverentiae Tuae, qui non tantum disciplinam ecclesiasticam enervare, sed et debitam erga ss. Missae Sacrificium in populo fideli reverentiam summopere infirmare valent, impunitos pateremur eosdemque comprimere non studeremus.

Auctoritate proinde Nostra ordinaria ac etiam delegata, tenore praesentium, Rever. *Tuam ad tempus trium mensium a Sacris suspendimus*, ac Te censura suspensionis ab officio per praedictum tempus innodatum declaramus, nec non insimul Rev. Tuae iniungimus, ut in termino praedicto *exercitia spiritualia seu recollectiones in aliquo Conventu religioso*, pro arbitrio Tuo eligendo, propriis sumptibus per tres dies peragas, Nobisque de peractis exercitiis attestatum concernentis Superioris Conventus, in quo exercitia spiritualia peregeris, exhibeas. Quodsi exercitia spiritualia hisce Tibi iniuncta non peregeris, censura suspensionis a Sacris innodatus permanebis post elapsum terminum trium mensium tamdiu, donec de peractis exercitiis spiritualibus attestatum produxeris.

Leopoli die 25. Novembris. 1893.

Quae cum Vobis Venerabiles Fratres pro notitia et directione communicamus, monitos Vos esse volumus, ut si suspensus iste sacerdos, durante suspensione, St. Missae Sacrificium celebrare vel quamcunque aliam functionem sacerdotalem in ambitu Nostrae Tarnoviensis Dioecesos peragere praesumpserit, desuper Nos illico informetis.



E Consistorio Episcopali.

Tarnoviae, die 13 Decembris 1893.

IGNATIUS
Eppus.

Walczyński
Vic. Gen. Cancellarius.

W drukarni Józefa Styrny w Tarnowie 1893.

Nakładem Kleru Dyecezalnego.